

non possit, præferendum est jus Principis juri alicujus privati. At debitum pecuniarium est divisibile. Unde quando est dubium, æquitas postulat, ut totum non adscribatur uni, ne fiat injuria alteri, sed pro rata dubii dividatur; siquæ jus utriusque servetur. Altera disparitas est, quod miles in bello sit instrumentum Principis: subditus autem in distractione boni proprii ad solvenda debita sit causa principalis. Porro, quando subditus se habet ut instrumentum in eo, quod causa principalis præcepit, non est ipsius discutere, an opus præceptum sit justum, vel injustum, sed exequi tantum & obedire; si vero se habeat ut causa principalis in eo quod præcipitur, ipsius est discutere, an sit justum, vel injustum, & non solum exequi, quia tunc debet agere secundum formam suam moralem, nempe suum iudicium: v. gr. quia concionator est causa principalis concionis habendæ, non tenetur obedire Prælato præcipienti prædicare doctrinam, de cujus veritate ipse concionator dubitat; sed potest & debet examinare, an sit vera. E contra, quia præco est instrumentum Principis respectu promulgationis edicti, non pertinet ad eius officium examinare, an sit justum, vel non, sed in dubio potest & debet obedire & promulgare. Sic iterum reus non tenetur respondere judici, quando dubitat, an legitime interroget, quia est causa principalis sue responsionis: e contra tortor tenetur exequi sententiam dubiam, quia est instrumentum iudicis.

Notant communiter Theologi, ipsos exactores exigentes tributa dubia non peccare: quia præsumere possunt superiores habere justam causam ipsis incognitam; quod discutere non ipsorum est, cum in hoc se habeant ut instrumentum Principis.

§. III. Utrum Clerici sint exempti a Tributis?

Dico: (Ibid. ad Rom.) Clerici sunt regulariter exempti a Tributis. Prob. 1. Ex Jure civili L. Sancimus 22. C. de sacrosanctis Ecclesiis l. 1. tit. 2. Ubi Justinianus Imperator Ecclesias, & omnia loca pia a prælatis maneribus immunitate decernit. Et Novella Item nullo C. de Episcopis & Clericis ibid. tit. 3. Fredericus Imperator sic statuit: Item nulla communitas, vel persona publica, vel privata collectas vel exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesiis, vel aliis locis piis, aut Ecclesiasticis personis imponere præsumant. Item cap. In qualibet causa 23. q. 8. ex Constantio & Constante Imperatoribus. Prob. 2. ex Jure Canonico C. Quamquam, De censibus in 6. l. 3. tit. 20. ubi Bonifacius VIII. inter alia sic statuit: Cum igitur Ecclesia Ecclesiasticæque persone, ac res ipsarum, non solum Jure humano, quinimo & divino, a secularium personarum exactioibus sint immunes, constitutionem felic. record. Alexandri Pape IV. Prædecessoris nostri (qua statuit, Ecclesias & personas Ecclesiasticas ad pedagia & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, vel solvendum talia pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deserunt, vel deferri faciunt, seu transmittunt) volentes propter multorum insolentiam & abusum penæ adminiculo adjuvare, adjicimus districtius inhibendo (contraria consuetudine quorumcumque, que dicenda est corruptela verius, non obstante) ut nec Collegium, nec Universitas, nec aliqua etiam singularis persona, cuiuscumque sit dignitatis, conditionis, aut status, a præfatis Ecclesiis, aut personis, aut pro personis ipsis, aut rebus prædictis, talia exigat, vel extorqueat per se, vel per alium, suo nomine vel alieno, aut contra fecerint, si sit singularis persona, subicit excommunicationi; si sit communitas, interdico. Et Can. Clericis tit. 23. de immunit. ibid. non solum laicos collectas, tallias; &c. ab Ecclesiasticis exigentes, sed etiam Ecclesiasticos illas solventes excommunicat, si sint singulares persone; interdicit, si sit communitas; & harum censurarum absolutionem Apostolicæ Sedi reservat. Magnum Concilium Lateran. cui præter 400. & ultra Episcopos, 800. tam Abbates, quam Priores, adierant legati Imperatoris Constantinopol. Regis Romanorum, Gallorum, Anglorum, Hungarorum, Aragonum, & plurium aliorum Principum sub Innocentio III. prohibet sub anathemate, ne seculares exigant ab Ecclesiasticis tributa, & addit: Verum, si quando foris Episcopos simul cum Clericis tantam necessitatem, vel utilitatem perspexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates, vel necessitates communes, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint per Ecclesias conferenda, prædicti Laici humiliter & devotè recipient cum gratiarum actione: propter imprudenciam tamen quorundam Romanus Pontifex consulatur, cujus interest communi

utilitatibus prædicere. Referuntur Can. Non minus & Can. Adversus Extrâ l. 3. tit. 49. Videat curiosus Lector. Concilium generale Viennense sub Clemente V. cui cum 300. Episcopis aderat Rex Gallie, jubet Ordinarius locorum, ut publicent Sententias excommunicationis & interdicti latas contra eos, qui tributa exigunt a personis Ecclesiasticis pro earum rebus, quas non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt. In Bulla Cœne, excommunicantur omnes, qui absque speciali & expressa licentia summi Pontificis imponunt collectas, decimas, tallias, præstantias, aut alia onera personis Ecclesiasticis, aut earum bonis, sive Ecclesiarum, aut Monasteriorum ipsorum, aut imposita exigunt, aut a sponte donantibus recipiunt, aut his actibus quomodo cooperantur. Quod dicitur: a sponte donantibus, intelligitur, quando impositum est. Concilium Trident. sess. 25. Cap. 20. de Ref. postquam dixit: Ecclesia & Ecclesiasticarum personarum immunitatem Dei ordinatione & Canonice sanctionibus constitutam esse; decernit & præcipit, Sacros Canones & Concilia generalia omnia, necnon alias Apostolicas sanctiones in favorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editas (que omnia etiam præsentis Decreto innovat) exactè ab omnibus observari debere.

Ex his inferes 1. hanc immunitatem non posse contra Clericos præscribi, sed omnem consuetudinem contrariam, quantumvis antiquam, esse corruptelam, nec ullo tempore convalescere, ut decernit Innoc. III. & Bonif. VIII. cit.

Inferes 2. Clericos huic immunitati non posse cedere, ut decernit idem Bonifacius Can. Clericis cit. quia non est ipsis concessa propter ipsos personaliter, sed propter eminentiam status Clericalis: unde, sicut non possunt permittere, ut a Laico percussantur, ita nec solvere tributa imposita a Laicis. Inferes 3. esse quosdam casus, in quibus licitum sit exigere tributa a Clericis; ob quam causam dixi in conclusione, regulariter esse exemptos. Primus casus est, si negotiationem exercent, ut declarat idem Bonif. C. Quamquam cit. & hoc annuit Ecclesia in odium negotiationis in Clericis. Videtur tamen ex Can. Ex litteris Extrâ l. 3. tit. 1. Clericum negotiatorem non teneri solvere vectigal ante trinam monitionem. Cæterum advertere, non esse negotiationem, si Clericus fructus ex suo fundo, aut ex ruis pecoribus vendat, ideoque pro illis non subiacere vectigalibus.

Secundus casus est, quando facultates Laicorum non sufficient ad succurrendum necessitati publicæ; ut autem in hoc casu exigatur Tributum a Clericis, requiritur consensus Papæ, ut patet ex cit. Cap. Adversus & ex Bulla Cœne. Quod si res non ferat moram, videtur sufficere consensus Episcopi & Clerici pro Clericis secularibus & regularibus non exemptis: pro exemptis vero requiritur consensus suorum Prælatorum.

Sed si non consentiat Pontifex & contradicat Clerus; poteritne licitè Princeps imponere tributa Clericis? Respondet affirmativè Daelman, si tributa sint necessaria; quia, inquit, habent Principes independentèr a Pontifice potestatem providendi bono communi suorum Statuum; tenenturque Clerici, qui & favorem sentiunt, etiam in tali necessitate onera sustinere. Verum hanc Responsionem non puto admittendam, nisi temperetur; vel ergo Papa agnoscat necessitatem, vel non. Si primum, videtur irrationabiliter invitus, siquæ admitti potest responsio. Si secundum, non videtur admittenda; quia illius est judicare de necessitate, cujus est consensus dare in necessitate; & aliquin Princeps constitueretur Index in propria causa, siquæ evanescerent Jura & Clericorum privilegia; nullus enim est Princeps, qui imponendo tributa non præterdat necessitatem.

Tertius casus est, secundum Canonistas & Theologos, quando tributum est æquè primariò & æquè immediatè in utilitatem Clericorum & Laicorum, ut pro agere reparando, ne flumen inundet agros Clericorum & Laicorum; pro expellendis prædonibus, qui vastant territorium, in quo Clerici habent multas possessiones: Id enim æquitati naturali videtur omninò consentaneum. Secus, si contributio spectet immediatè & primariò communitatem, & secundariò tantum ac per consequentiam Clericos, quatenus sunt membra communitatis: ut tributa, quæ spectant stipendia Principis, bellum gerendum, reparacionem arcium, aut mœniorum Civitatis, &c. Ità Sylvester v. Immunitas l. 1. n. 2. cum Panorm. & aliis, & post ipsum Less. l. 2. cap. 33. dub. 3.

Quidam tamen subjiciunt etiam Clericos, non secus ac Laicos, reparacioni pontium & viarum publicarum ex L. Ad

Ad instructiones 7. C. de Sacrosanctis Ecclesiis l. 1. tit. 2. ubi Imperator Honorius dicit: Ad instructiones itinerum pontiumque, etiam divinas domos & venerabiles Ecclesias tam laudabili titulo adscribimus. Verum id negat Sylvester cum aliis cit. tùm quia hæc Honorii Constitutio videtur revocata per Imperatores subsequentes, Justinianum & Fredericum, qui absque ulla exceptione Clericos a vectigalibus & tributis exemerunt, & per Concilia generalia, quibus vel ipsi Principes vel eorum Legati adfuerunt, ut patet ex probat. conclusionis: tùm etiam quia, cum hæc Constitutio sit contra immunitatem Ecclesiasticam, non habet vim, nisi approbetur ab Ecclesia. Cæterum datò, quod hæc Constitutio admittatur, saltèm non est extendenda ultra casus in ea contentos, scilicet reparacionem itinerum & pontium, proit quidam liberis & absque fundamento extendunt: quorum sententiam si sequi velis, vix ullum restabit Clericorum privilegium. Notat tamen Sylvester loco cit. n. 19. esse quadam onera, quæ ratione naturali incumbunt ipsis rebus, & ad quæ tenetur Ecclesia, ut reficere viam antè donum. Item de purgatione putei necessarii toti vicinia, in qua est Ecclesia. Item solvere ad portam, vel pontem pro plastro, ad ipsius portæ, vel pontis conservationem, quia destruit viam. Vide laud. Sylvester.

Quartus casus est: si possessio aliqua habeat aliquod onus annexum perpetuum & invariable antequam veniret ad Ecclesiam, Ecclesia tenetur ad illud; quia res transit cum onere suo. C. Cum non sit 33. & C. Pastoralis 28. de decimis. Vide eundem Sylvestr. ibid. Non potest tamèn novis oneribus gravari. Neque refert, quod Princeps haberet jus imponendi tributum huic possessioni, sed propter emittentem ad Ecclesiam, quo jure non videtur spoliandus ea eo, quod fiat Ecclesie: qui Princeps non habet jus imponendi tributum alicui prædio, nisi quando pertinet ad personam non immunitem; unde hoc ipso quo transit ad Ecclesiam immunitate gaudentem, Princeps amittit hoc jus.

Petes 1. Utrum bona patrimonialia Clericorum sint etiam immunita? R. Probabilem esse quorundam Sententiam, esse immunita à novis tributis imponendis: 1. quia Bonifacius VIII. supra cit. declarat indistinctè, Personas Ecclesiasticas & res ipsarum esse exemptas. 2. Quia in Bulla Cœne excommunicantur, qui imponunt collectas, &c. personis Ecclesiasticis aut eorum bonis, sive Ecclesiarum, aut Monasteriorum: ubi distinguit eorum, hoc est, Clericorum bona a bonis Ecclesiarum. Scio, id ab aliis negari, quibus forte favet usus.

Petes 2. Quo Jure Clerici sunt immunes? R. (Ib.) Esse immunes Jure civili & canonico, ut patet ex dictis: quod tamèn habet æquitatem naturalem. Quia, sicut Reges sollicitudinem habent de bono publico in temporalibus; ità Ministri Dei in spiritualibus; per eos enim Reges & populi

sunt Christiani, accipiunt doctrinam salutis, panem celestem, remissionem peccatorum, & vitam æternam: horum precibus Regna permanent, calamitates revertuntur, tranquillitas servatur aut restauratur: & sic recompensant Regi & populis, quod ille laborat, & isti ministrant pro eorum pace. Undè etiam apud Gentiles (Ib.) liberi erant attributis, qui vacabant rebus divinis, ut patet Genes. 47. & 1. Esdræ 7. Hincque gentium morem probavit Deus, dum in veteri Testamento Sacerdotes & Levitas à tributis fecit immunes. Quanto magis id congruit Ministris novi Testamenti, quorum priores erant tantum figura! Itaque Jus naturale & divinum suadent & approbant hanc immunitatem; & hoc sensu intelligenda sunt Jura laudata, dum dicunt eam esse Jure Divino & Dei ordinatione, id est, suadente & probante: at non sic absolute præcipiunt, quasi Principes peccent contra Justitiam, si secluso quovis alio Jure, tributa Clericis imponant: id enim neque ex sacris Litteris, neque ex traditione; neque ratione probari potest: imò contrarium evincitur ex S. Ambrosio C. Si tributum Caus. 11. q. 1. Si tributum petat Imperator, non ei negamus; agri Ecclesie solvant tributum. Et ex Urbano Papa C. Tributum Caus. 23. q. 8. De exterioribus Ecclesie, quod constitutum antiquis est pro pace & quiete, qua nos defendere debent, Imperatoribus persolvendum est. Ratio etiam suadet: Clerici enim, attendita natura rei, & secluso omni privilegio, sunt subditi Principum in temporalibus non secus ac Laici, & sic erant de facto tempore, quo regnabant Imperatores Ethnicis. Hanc ergo immunitatem, equidem Juri naturali & divino omnino consentaneam, completè constituerunt concessionibus Principum & sanctionibus Ecclesiæ.

Petes 3. Qui Clerici gaudeant hac immunitate? R. 1. Ea gaudent omnes Clerici majorem Ordinum, omnes Beneficarii, omnes Religiosi & Religiosæ. Est communis. 2. Clerici minorum Ordinum, & primæ Tonsuræ, non conjugati, quamvis neque sint Beneficarii, neque alicui Ecclesie deserviant, attento Jure ea gaudent; at contraria consuetudine, consentiente S. Pont. hoc privilegium amiserunt. Et hoc rationabiliter ob nimiam multitudinem talium Clericorum, quorum plerique fiebant Clerici precisè, ut a Tributis essent liberi, absque ullo animo Ecclesie inserviendi. Excipiendi tamèn videntur, qui in studiis versantur quasi in via ad majores Ordines. 3. Clerici conjugati, qualescumque sint, hac immunitate non gaudent: quia duo tantum privilegia illis a Jure conceduntur, nempe Fori & Canonis. Si quis suadente cap. unico de Clericis conjugatis in 6. idque sub tribus conditionibus: 1. Ut non duxerint nisi virginem & unicam. 2. Ut deferant Tonsuram & vestes clericales. 3. Jure novo Tridentini, ut ab Episcopo alicujus Ecclesie ministerio sint deputati.

DISSERTATIO X.

DE VITIIS OPPOSITIS JUSTITIAE COMMUTATIVÆ, ET PRIMO.

De Homicidio, Mutilatione, & Restitutione inde debita.

Div. Thom. qq. 64. & 65.

Expeditis iis, (Q. 64. in Proem.) quæ spectant actionem personarum, quæ est vitium oppositum justitiæ distributive, restat agendum de vitiis oppositis justitiæ commutativæ, per quæ infertur nocuum mentum proximo: quod fit dupliciter facto & verbo. Facto, lædendo ipsum in propria persona per homicidium & mutilationem; vel in rebus exterioribus pro furtum & rapinam: Verbo, tùm in judicio per injustitiam Judicis, Accussatoris, Advocati, Testis, & Rei; tùm extrâ Judicium, per contumeliam, detractio-nem, insurrectionem, & maledictionem. De quibus omnibus suo ordine agemus, necnon de obligatione restituendi ex illis contracta. De damno animæ, nec non de injuria illata per stuprum & adulterium, dicam in appendicibus ad hanc Dissertationem.

ARTICULUS I.

Utrum sit licitum occidere Malefactores?

Delictum fuit Manichæorum, non esse licitum occidere bruta animalia; neque destruere herbas, quod eorum animas a bono principio, & quasdam divinitatis

particulas esse dicerent: unde eorum occisionem præcepto, Non occides, esse prohibitam volebant contra expressa Scripturæ testimonia: nam Genes. 1. dixit Deus Adæ: Ecce dedi vobis omnem herbam & universa ligna, ut sint vobis in escam & cunctis animalibus terra. Et Gen. 9. dicit Noè, & filiis ejus: Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. (Ibid. art. 1. o.) Insupèr in veteri Testamento occidebantur quotidie animalia ad Sacrificia. In novo autem Christus ipse manducavit pisces & agnum Paschalem, qui debuerunt prius occidi.

Id etiam probat ratio. (Ibid. & 1. p. q. 96. a. 1. o.) Sicut enim in generatione rerum intelligitur quidam ordo, quo proceditur de imperfecto ad perfectum: nam materia est propter formam, & forma imperfectior propter perfectiorem; ità etiam est in usu rerum naturalium; plantæ enim utuntur terra ad sui nutrimentum, animalia vero plantis: & homines plantis & animalibus; unde naturaliter homo dominatur animalibus. Et propter hoc Philo-s. 3. Polit. dicit, quod venatio sylvestrum animalium est justa & naturalis, quia per eam homo vindicat sibi, quod

est naturaliter suum, & suum exercet dominium, juxta illud Gen. 1. *Dominamini piscibus maris & volatilibus Caeli & universis animantibus, quae moventur super terram.* Adverte tamen, quod, qui crudeliter necaret bestias, & eorum doloribus delectaretur, peccaret venialiter propter abusum potestatis herilis & domini. Hac etiam crudelitate assuescit homo, ut talis sit in homines. Unde illud Prov. 12. *Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.*

Si quaeras, utrum ante diluivium esus carniū fuerit licitus & in usu? R. Negant plures Patres, Chrysost. Hieron. Theodoretus, quibus aliquo modo assentire videtur S. Th. (1. 2. q. 102. a. 6. ad 2.) dicens: *Esus carniū videtur esse post diluivium introductus.* Affirmant Cajetanus, Soto, Franciscus a Victoria, Natalis Alexander, &c. Mediam in viam Silvius, docens fuisse quidem licitum, ac verisimiliter à quibusdam usurpatum: cum nec jure natura, nec aliqua Dei Lege prohiberetur: Religiosiores tamen abstinentisse, eò quod Deus assignans homini cibum Gen. 1. diserte solam expresserat herbas, non carnes, licet eas non excluderet. Post diluivium verò, cum Deus Gen. 9. aperte declaraverit se tradere homini omnia viventia in cibum sicut olera, introductum fuisse passim & communiter apud omnes; & ita intelligit dictum S. Thomae laudatus Sylvius, cujus Sententia nobis probatur. His in antecessum breviter discussis, ad questionem propositam

Dico: Licitum est occidere malefactores bono communi noxios. (*Hic q. 64. a. 2. o.*) Prob. auctoritate Scripturæ. Exod. 22. dicitur *Maleficos non patieris vivere:* & David Ps. 100. tanquam laudabiliter factum narrat: *In matutino interfectam omnes peccatores terre.* Apostolus ad Rom. 13. *Si malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister (Ibid. in arg. s. c.) est vindictæ in iram ei, qui malum agit.* Potestas autem gladii nihil est aliud, quam potestas effundendi sanguinem & auferendi vitam. Prob. ratione (*ib. o.*) Omnis pars ordinatur ad totum ut imperfectum totum; & propter hoc videmus quod si saluti totius corporis homini expediat precisio aliquis membri, puta, cum est putridum, vel corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter & salubriter absconditur: atqui quilibet persona particularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum: ergo, si aliquis homo sit periculosus communitati & corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter & salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur. Vides hanc Auctoris rationem probare de omnibus & solis peccatoribus Reipublice noxios. Non est ergo hic attendendum ad gravitatem, seu militiam peccati secundum se, sed ad nocentiam, quod infert Reipublicæ. Unde leges militares non sunt dicende iniuste, licet poenam mortis decernant pro culpis secundum se levibus, puta, pro brevi somno, pro deserta statione, neglecta custodia, parva inobedientia, exiguo furto; quia ex ejusmodi delictis, quantumvis secundum se levibus, gravissima mala Reipublicæ sequerentur, si non severissime cohiberentur.

Advertunt hic Auctores, lapsum esse Scotum, cum absolute negat fures posse licite occidi. En ejus verba in 4. dist. 15. q. 3. *Sed quis, apud Serram hic, Lex divina absolute prohibuit: non permittas hominem occidi, & nulli licet inferiori in lege superioris dispensare: ergo nulla lex positiva, constituens hominem occidendum, justa est, si in illis casibus statuat, quos Deus non excipit. Excipit autem multos, ut patet in Exodo, scilicet blasphemum, homicidam, adulterum, & multos alios &c. constat, quod Deus in Lege Moysi vel Evangelica non excipit peccatum furti ab illo præcepto.* Non occides, ut scilicet ob hoc peccatum liceat occidere: & idem, nisi revocaverit aliqua revocatione speciali, que non habetur ex Scriptura, nec de Bulla super hoc descendente de calo audivimus non videri, quod lex aliqua justa possit statuere hominem occidi posse pro furto solo.

Hanc sententiam multis momentis falsitatis arguunt Cajet. hic, Soto l. 1. de Jure q. 1. a. 2. Alii damnant ut minus consonam fidei, ut temerariam, ut erroneam. Verum Scoti discipuli magistrum explicant, contenduntque eum dumtaxat loqui de furto simplici, prout est nocivum particulari tantum, non autem de furto, prout est nocivum bono communi; sub hoc enim duplici respectu potest considerari furtum. Imo Franciscus Henno contendit, S. Thomam infra q. 66. a. 6. ad 2. expressè sentire cum Scoto. Quod Scotista suum Doctorem merito venerabilem defendant, non invidio; sed quod S. Thomam hac in parte illi consentientem traducant, non fero. Ete-

nim, dum S. Thomas q. 66. cit. dicit, quod pro furto non infligatur poena mortis, statim subdit: *Nisi aggravetur per aliquam circumstantiam, cujus ponit plura exempla; ut furti rei Sacre pecculatus; & plagiatum hoc autem non dixit Scotus.* Insuper ratio D. Thomae in præsentii Art. probat, universaliter omnes peccatores bono communi nocivos licite morte plecti. Hujusmodi autem esse plures fures, nullus dubitat: tales sunt præter jam assignatos, fures domestici, fures eorum; boum, ovium pascentium in agris, fures pannorum seu linteaminum ad sicationem expositorum, & alii similes ex quibus securitas publica, negotiatio, famulatus necessarius, aut communitas quovis alio modo perturbatur & vexatur: id autem erui non potest ex ratione Scoti, quia potius contrarium asseri, non paucis videtur. Sed quidquid in hac parte senserit Doctor Subtilis, non me movet: me moveret autem, quod addit ibidem laudatus P. Henno, Alexandrum Halensem fuisse Præceptorem S. Thomae, nisi hanc fabulam ad nancum decantatam jam pluries & medullitis contritam haberemus; pro quo vide Natale Alex. tom. 7. in Append. Echard in S. Th. Turon. in vita S. Th. & alios.

Dices contra Concl. Deus sibi soli vitæ humanæ reservavit dominium, ut patet Deut. 3. *Ego occidam & ego vivere faciam.* 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & vivificat; deducit ad inferos & reducit;* & Sap. 13. *Tu es Domine, qui vita & mortis habes potestatem.* Unde generale est istud mandatum Exod. 2. & Matth. 5. *Non occides:* ita quod nemo possit hominem occidere, nisi ipse Deus in hac sua generali lege dispensaverit, & occidendi auctoritatem fecerit: ergo R. Auctoritatem occidendi malefactores Deum contulisse, tum lege positiva Exod. 22. *Maleficos non patieris vivere;* tum lege naturali scripta in cordibus hominum, recta scilicet ratione dictante amputandum esse partem, ne totum pereat. Non est ergo (1. 2. q. 100. a. 8. ad 3.) tam generale istud mandatum, *Non occides,* sicut istud v. g. *Non pejerabis;* sed restringitur ad occasionem indebitam, sicut istud, *Non concupisces rem alienam,* restringitur ad concupiscentiam indebitam. Unde, sicut concupiscere rem alienam modo & desiderio justo non comprehenditur hoc mandato, *Non concupisces;* ita occidere hominem, quando recta ratio postulat, non comprehenditur hoc mandato, *Non occides.*

Inst. Quod est secundum se malum, nullo bono fine fieri licet; atqui occidere hominem est secundum se malum: ergo. Prob. Minor. Ad omnes homines tenemur habere charitatem, amicos autem vivere volumus & esse: ergo R. D. Min. (*Hic q. 64. a. 2. ad 2.*) Occidere hominem innocentem est secundum se malum, C. nocentem, N. Quia homo peccando ab ordine rationis recedit, & ideo decidit a dignitate humana, prout scilicet homo est naturaliter liber & propter seipsum existens, & incidit quodam modo in servitutem bestiarum, ut scilicet de ipso ordinetur secundum quod est utile aliis, juxta illud Ps. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis:* & Prov. 11. dicitur: *Qui stultus est, serviet sapienti.* Et ideo quantumvis hominem in sua dignitate manentem occidere, sit secundum se malum; tamen hominem peccatorem occidere potest esse bonum, sicut occidere bestiam. Pejor est enim malus homo, quam bestia, & plus nocet. Neque hic deest charitas, sed est ordinata, quæ præfert bonum commune particulari.

Repones. Gen. 9. prohibetur occisio hominis, quia ad imaginem Dei factus est; atqui hæc imago permanet in homine peccatore: ergo R. D. Maj. Prohibetur occisio hominis, quia &c. auctoritate privata, C. auctoritate publica, N. Dicitur enim ibidem: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundatur sanguis illius;* ubi aperte docemur, homicidam posse auctoritate publica morti abdicari jure vindictæ. Voluit ergo dumtaxat Deus verbis argumenti detertere homines ab iniqua hominis occisione, quasi diceret: si a cæde hominis non te deterreat, quod sit ejusdem tecum naturæ, deterreat saltem quod sit imago Dei. Sed quantumvis hæc imago Dei maneat in homine bono communi noxio, voluit tamen Deus eum morte plecti; quod nobis constat tum lege scripta: *Maleficos non patieris vivere;* tum lege naturali scripta in cordibus nostris, ut dictum est.

ARTICULUS II.

Qua auctoritate liceat occidere malefactores

Dico: (*ib. a. 3. o.*) Sola auctoritate publica, non privata, licitum est occidere malefactores. Intellege ex in-

intentione & in vindictam, non præter intentionem & in defensionem propriam, ut patet ex infra diceodis. Prob. (*ib.*) Occidere malefactorem licitum est, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis: ergo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis, hoc est, ad personam publicam: sicut ad medicum pertinet præcidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit salus totius corporis. Conf. Si cuilibet particulari injuriam passo liceret privata auctoritate ulcisci, omnia credibus replerentur: & ideo Deus sibi reservavit vindictam per se, vel per suos Ministros exercendam, Deut. 32. *Mea ultio & ego retribuam:* & ad Rom. 12. *Mihi vindicta & ego retribuam.*

Contra hanc conclus. statim occurrunt tres vulgares objectiones: 1. Quod cuique privato liceat occidere Banitos, seu a Republica, vel Principe proscriptos. 2. Quod liceat patri occidere filium adulterum & adulterum in flagranti deprehensum: similiter marito uxorem adulteram & adulterum. 3. Quod cuilibet liceat occidere Tyrannum. Ad 1. R. eos, qui occidunt Banitos, a Rege, vel Republica proscriptos, non occidere privata auctoritate, sed auctoritate Reipublicæ, vel Principis tanquam ejus Ministros. Porro ita proscribere nec solet, nec potest Republica, seu Princeps nisi rarissime, quando nempe malefactor non potest apprehendi vias, & si distans vivat, grave Reipublice periculum imminat; quod ut cavetur, fit cuique licentia ipsam occidendi.

Ad 2. fateor quidem, juxta Leges civiles patrem posse occidere filium adulterum & adulterum in flagranti deprehensum, similiter maritum posse occidere adulterum, non tamen uxorem adulteram saltem a tempore Augusti; nisi forte apud quasdam nationes, inter quas hæc prior Lex adhuc vigeat tempore Nicolii Pape Cap. *Inter hæc causa 33. q. 2.* Sed hoc dato, R. eum Auctorem (*ib. a. d. 37. q. 2. a. 1. o.*) quem communitur sequuntur Theologi & Canonistæ, has Leges valere dumtaxat in foro judiciali, quatenus in eo non puniatur pater, aut maritus hujusmodi occisionis reus propter manuum incitamentum, quod habet in tali facto ad occasionem adulterum. Sed Ecclesia in hoc non est adstricta Legibus humanis, ut judicet eum sine reatu poenæ æternæ ex hoc, quod sit sine reatu poenæ infingente per judicium sæculare. Nusquam ergo Ecclesia huic licentia per Leges civiles concessa annuit, quin potius improbat loco supra cit. & merito, tum propter manifestum periculum damnationis æternæ illorum, qui sic occidunt; idque sine necessitate, cum possint capi, accusari, & per Sententiam puniri; quod non contingit in proscripitis: tum etiam quia daretur occasio cuilibet, quem voluerit, domi suæ occidendi fingendo congressum fuisse cum uxore, aut filia.

Inst. Viri est suam uxorem corrigere, patris filiam; atqui correctio fit per inflictionem poenæ; cum ergo justa poena adulteri sit mors, quia est capitale crimen, videtur, quod liceat viro uxorem adulteram occidere, & patri filiam. R. (*ib. ad 4.*) Quod duplex est congregatio: Quædam æconomica, sicut familia aliqua; & quædam politica, sicut Civitas, aut Regnum. Ille igitur, qui præest secunde congregationi, ut Rex, aut Judex, potest infligere poenam corrigentem personam, & exterminantem ad purgationem communitatis, cujus curam gerit. Sed ille qui præest in prima congregatione, sicut paternitas, non potest infligere nisi poenam corrigentem, quæ non se extendat ultra terminos emendationis, quam transcendit poena mortis; & ideo vir, qui sic præest uxori, non potest ipsam interficere, sed alias castigare; similiter pater erga filiam.

Ad 3. distingui debet duplex Tyrannus: unus regiminis tantum: non raro enim accidit, quod veri & legitimi Principes tyrannice regant & populum opprimant. Alter ipso jure Regi, quatenus illud iniquè usurpavit. Certum est, Tyrannum 1. modo nemini privato licitum esse occidere, quia est verus dominus, verus Superior; veris autem dominis etiam discoloris jubemur obedire, Ep. ad Rom. 13. & 1. Petr. 2. Et ita primi Christiani obediebant Principibus Ethnicis tametsi Ecclesiam persequerentur, & pro ipsis orabant, mandante Apostolo. Et sanè alias nullus Princeps esset in tuto, hoc ipso quo quis se ab illo gravatum conquereretur. Unde in Concilio Constat. damnata est hæc propositio de hujusmodi Tyrannis: *Quilibet Tyrannus potest & debet licite & merito occidi per quemcumque vasallum, vel subditum.* Notant tamen Auctores, posse Reipublicam contra nimis insolentem Tyrannum, congregatis Regni comitibus procedere, ipsum deponere, aut occidendum proscribere, si aliter occurrere non possit: quia, *Theol. Billuart. Secunda Secunda.*

inquant, Rex habet a Reipublica auctoritatem Regiam, non in destructionem, sed in edificationem & conservationem, per quam proinde potest tolli, si in apertam perniciem vergat. Verum inde sæpe mala ipsa tyrannide majora ingruere solent: quapropter potius patienter toleranda est oppressio, & ad Deum recurrendum. Tyrannum verò usurpatione Regni, quando in eum Reipublica non consentit, posse, positis certis conditionibus, a quolibet privato occidi, tenet communis Sententia cum Auctore (*In 2. d. ult. q. 2. a. 2. ad 3.*): quia non est Princeps, sed hostis & oppressor Reipublicæ, contra illam continuum gerens bellum. Unde duplici titulo potest quilibet privatus eum occidere. 1. Jure defensionis tanquam injustum invasorem, & hoc auctoritate privata. 2. Jure vindictæ, & hoc auctoritate publica, quam cuilibet civi communitas censetur committere; quasi militi adversus hostem in bello justo. Vide Cajet. hic *Dixi: positus certis conditionibus.* 2. Quod certum sit, Tyrannum nullum habere jus ad Regnum. 2. Quod non sit Superior, ad quem possit haberi recursus. 3. Quod Tyranni occisioni Reipublica non contradicat. 4. Quod ex ejus occasione bene speretur tranquillitas Reipublicæ, & non potius inde timeantur majora mala, ut sæpe accidit: quapropter raro consultum est tali remedio uti.

Dices insuper contra conclus. Laudabile est, quod homo, etiamsi sit privata persona, operetur, quod est utile bono communi; sed occisio malefactorum est utilis bono communi, ut dictum est: ergo R. (*Hic q. 64. a. 3. ad 3.*) Quod facere aliquid ad utilitatem communem, quod nulli nocet, hoc est licitum cuilibet private persone; sed si sit cum nocimento alterius, hoc non debet fieri nisi secundum judicium ejus, ad quem pertinet æstimare, quid sit subtrahendum partibus pro salute totius.

Petes, utrum Clericis Jurisdictionem temporalem habentibus liceat occidere malefactores, seu ad eorum occisionem directè concurrere? R. negative: (*ib. a. 4. o.*) Id enim ipsis prohibetur c. 5. & 9. tit. *Ne Clerici & Monachi:* Libr. 3. Decretal. Ratio etiam suadet: (*ib.*) 1. Quia Clerici sunt electi ad Altaris ministerium, in quo repræsentatur Passio Christi occisi, qui, cum percuteretur, non repercutiebatur, ut dicitur 1. Petri 2. & ideo non competit, quod Clerici sint percussores, aut occisores; debent enim Ministri suum dominum imitari. 2. Quia Clericis committitur ministerium nove Legis, in qua non determinatur poena occisionis, vel mutilationis corporalis, & ideo, ut sint idonei Ministri novi Testamenti, debent ab his abstinere.

Quod autem quidam dicant, id etiam ipsis prohiberi Jure divino propter verbum Apost. 1. ad Tim. 3. dicens: *Opportet Episcopum sine crimine esse, non vinculem, non percussorem;* quod profert S. Th. in arg. *Sed contra;* non satis probatur: quia Apost. ibi non loquitur de percussione justa & per auctoritatem facta; sed de quacunque percussione injusta & irrationabili ex privata ira: quasi diceret: oportet Episcopum non esse facilem ad percutiendum neque asperum & crudelem in suos. Neque S. Th. verbum adduxit Apostolicum, inquit Soto, ac si habendum esset pro Lege, ne Clerici id causa sanguinis Judices sederent, sed solum per viam consequentiæ & exempli, nempe quod, postquam admonentur, ne sint percussores, merito Ecclesia cavet, ut ab omni percussione abstinerent. Nomine autem Clericorum intelliguntur omnes Clerici; cum hæc tamen differentia, inquit idem Soto, quod Clerici majorum Ordinum peccent mortaliter; Clerici autem minorum Ordinum peccent venialiter; quod etiam est probabile de prima tonsura initiatis.

Quid ergo facere possunt & debent Clerici, quibus Jurisdictio temporalis competit? R. (*ib. ad 3.*) possunt & debent constituere Judices ad hujusmodi causas sanguinis discutendas & judicandas. Possunt etiam hos Judices monere, imò & ipsis præcipere, ut de tali causa inquirent, & quod justum fuerit, faciant. Ita ipsis conceditur in Jure C. *Episcopus Tit. ne Clerici & Monachi* in 6. his verbis: *Licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, tamen, cum Jurisdictionem obtinent temporalem, debent & possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare.* Non possunt tamen quidquam dicere, aut facere, quo Judices a se deputatos moveant ad intelligendam mortem, vel mutilationem, neque esse præsentem Sententiæ, aut ejus executioni: C. *Ex litteris. De excessu Prælatorum.* Et si adsint, incurrun irregularitatem.

Quantum verò ad alios Clericos, qui non habent Jurisdictionem in tali causa, si adsint executioni ex levitate, vel curiositate, nullam auctoritatem, vel auxilium præstantes, peccant quidem contra cap. *Sententiam. tit. Ne Clerici*

rei, vel Monachi, l. 3. Decretal. sed, juxta interpretationem Doctorum, venialiter tantum, nec sunt irregulares.

ARTICULUS III.

Utrum liceat alicui occidere seipsum.

Dico 1. (Ibid. a. 5. o.) Seclusa auctoritate divina jubente, vel permitte, lethale peccatum est occidere seipsum directe & ex intentione. Est contra quosdam de grege Donatarum, qui ut refert Aug. libr. de Hæresibus Hæc. 89. & alibi, existimabant, esse quoddam genus martyrii occidere seipsum, & passim hoc faciebant, domosque circabant, ut alios ad id impellerent. Unde Circumcelliones, seu Circitores dicti.

Prob. 1. (Ibid. in arg. s. c.) ex Præcepto, Non occides, de quo idem Aug. l. 1. de Civit. c. 20. Restat, inquit, ut de homine intelligamus illud, quod dicitur est: Non occides; nec alterum, ergo nec te: neque enim aliud quam hominem occidit, qui seipsum occidit. Prob. 2. triplici ratione. (Ibid. o.) Prima, quod aliquis occidat seipsum, est contra inclinationem naturalem & contra charitatem, qua quilibet debet seipsum diligere: ergo, Prob. Ant. Naturaliter quælibet res seipsam amat, & ad hoc pertinet, quod quælibet res naturaliter conservat in se esse, & corruptio- nis resistit, quantum potest: ergo. Neque obstat quod desiderium moriendi non sit semper signum odii in se, imò quandoque sit licitum, ut patet in Apost. Non enim dico, quod desiderium moriendi modo & medio licito propter bonum finem sit contra inclinationem naturalem & charitatem, sed per seipsum moliri in suam destructionem: multa quippe possumus desiderare, ut fiant, quæ tamen facere non possumus. Sic possumus desiderare mortem alicujus sceleris, quem tamen non mihi licet occidere: sic possumus desiderare multa pati pro Christo, quæ non possumus mihi inferre.

Secunda ratio (Ibid.) Qui occidit seipsum, injuriam facit communitati; quia quælibet pars, id quod est, est totius: quilibet autem homo est pars communitatis, & ita id, quod est, est communitatis; non quod communitas habeat dominium vite civium, sed custodiam, idque in sui utilitatem: ergo. Tertia ratio. (Ibid.) Qui seipsum interimit, peccat in Deum; sicut, qui alienum servum interimit, peccat in dominum, cujus servus est; & sicut peccat ille, qui usurpat judicium de re sibi non commissam: ergo. Prob. Ant. Vita est quoddam bonum divinitus homini datum, & illius potestati, ac judicio subjectum, qui occidit & vivere facit: juxta illud Deut. 32. Ego occidam, & ego vivere faciam: & Sap. 16. Tu es Dominus, qui vite & mortis habes potestatem: ergo.

Confirmatur, & simul præveniuntur plures instantiæ. (Ibid. ad 3.) Nulla est causa assignabilis, propter quam sit licitum occidere seipsum. 1. Non transitus ad meliorem vitam; quia id non subjacet libero hominis arbitrio, sed potestati divini. 2. Non ut quis miserioris presentis vite evadat, quia ultimum malorum hujus vite & maxime terribile est mors: undè esset majus malum assumere ad minoris mali vitiationem. (Ibid. ad 5.) Et quamvis se ob hunc finem interficere habeat quandam speciem fortitudinis, non est tamen vera fortitudo, sed magis quedam mollietas animi non valentis mala pœnalia sustinere. 3. (Ibid. ad 3.) Non propter peccatum commissum; tum quia quis per hoc sibi admittit peccatum poenitentia; tum quia malefactorem occidere non licet, nisi per judicium publicæ potestatis. 4. (Ibid.) Id non licet mulieri, ne ab alio violetur; quia non debet in se committere crimen maximum, quod est sui occisio, ut vicet minus crimen alienum; non enim & crimen mulieris per violationem corruptæ, si consensus non adsit; quia non inquinatur corpus nisi de consensu mentis, ut Lucia dixit: & aliunde constat minus esse peccatum fornicationem, vel adulterium, quam homicidium, & præcipue sui ipsius. (Ibid. ad 4.) Nec aliter excusantur Sanctæ, quarum memoria in Ecclesia celebratur, quæ, ne violarentur, in ignem, vel fluvium se projecerunt, aut aliter sibi mortem intulerunt, quam quod id fecerint ex instinctu Spiritus S. unde de S. Apollonia canit Ecclesia, quod in ignem prosiliit majori Spiritus S. flamma intus accensa. 5. (Ibid. ad 3.) Talem nulli licet occidere seipsum ob timorem, ne consentiat in peccatum; quia non sunt facienda mala, ut veniant bona, vel ut vitentur mala, præsertim incerta. Incertum est enim, an aliquis in futurum consentiat in peccatum, cum id pendeat ex ejus libera voluntate, & potens sit Deus hominem quæcumque tentatione superve-

niente liberare a peccato.

Dices 1. S. Hieronymus in Cap. 1. Jonæ, quod refertur causa 23. q. 5. videtur aperte asserere contrarium, dum dicit: In persecutibus non licet propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur: ergo. R. Plures sic interpretari S. Hieronymum, ut hæc particula absque eo non sumantur exclusive, sed inclusive, ut sensus sit, non licere propria perire manu etiam tunc, ubi castitas periclitatur: sicut intelligitur istud Cant. 4. Tota pulchra es absque eo, quod intrinsecus latet. Alii respondent, S. Hieronymum non simpliciter id asseruisse, sed respective ad mulieres, quæ in tali casu fuerunt excusate propter instinctum Spiritus S. aut propter ignorantiam invincibilem; ita ut sensus sit, non licet propria perire manu, nisi forte, quando castitas periclitatur, licet eis, qui divinitus ad hoc moventur, aut invincibiliter putant id esse licitum, non pauci enim arbitrantur, posse invincibiliter ignorari esse malum se in tali periculo occidere, quamvis id neget Aug. Verum alii has interpretationes ut nimis contortas rejiciunt, & simpliciter fatentur S. Hieronymum hujus fuisse Sententiæ, a quo cum SS. Aug. & Th. & aliis pluribus est recedendum.

Dices 2. Occidere malefactores licet habenti publicam auctoritatem; sed quandoque ille, qui habet publicam auctoritatem, est malefactor: ergo licet occidere seipsum, R. (Ibid. ad 3.) Quod ille, qui habet publicam potestatem, potest licite malefactorem occidere per hoc, quod potest de ipso judicare. Nullus autem est iudex sui ipsius; undè non licet habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcumque peccatum: licet tamen ei se committere aliorum judicio.

Petes, an saltem iudex possit condemnare reum, ut seipsum occidat: R. negativè: (Infra q. 69. art. 4. ad 2.) Quia, licet hanc auctoritatem Reipublice potuisset absolute Deus concedere, nulla tamen est ratio existimandi contulisse, cum id sensus humanus non ferat, inclinationi naturali omnino repugnet, & suppetant alii plures modi malefactores puniendi. Hinc inferes malefactorem non posse damnari, ut sumat ipse venenum, venam sibi aperiat, guttur, aut pectus transfodiat: & si id Sententia ferret, non posset illi parere, quia nulla est & injusta.

Dico 2. Neque licet occidere seipsum indirecte faciendo, aut omitiendo aliquid, undè sequitur mors, licet non intenta; nisi adsit justa & rationabilis causa illud faciendo, vel omitiendo. Prob. 1. pars. Quando est illicitum aliquid facere directè, etiam illicitum est illud facere indirecte, aliquid scilicet agendo, vel omitendo: undè sequitur, quia tunc est voluntarium interpretativè in causa, nisi justa ratio sic agendi, vel omitendi excuset, & voluntarium morale a tali effectu tollat: undè Prob. 2. pars. Præceptum vitam conservandi utpote affirmativum non obligat pro semper, seu in omni casu, sed tantum quando moraliter servari potest; atqui, quando occurrit justa ratio aliquid faciendi, vel omitendi, ex quo præter intentionem sequitur mors, jam vita non potest moraliter conservari: ergo. Conf. Quando adest justa ratio aliquid faciendi, vel omitendi, ex quo sequitur mors præter intentionem, mors non censetur voluntaria in causa, saltem moraliter & imputabiliter: ergo. Prob. Ant. ut aliquis effectus censetur voluntarius in causa moraliter & imputabiliter, requiritur juxta ea, quæ tradunt communiter de voluntario, quod possim & debeam amovere causam talis effectus; si enim nulla lege teneatur amovere hanc causam, quin potius habeam justam rationem illam ponendi, non est cur effectus indè sequens contra meam intentionem mihi imputetur ut voluntarius: ergo. Confer, quæ dixi de cooperantibus ad injustam damnificationem §. Participans, & quæ dicam infra de occasione injusti invasoris vite.

Consecraria præcedentis Doctrinæ.

EX dictis colliges 1. eos suicidii reos esse, qui levibus de causis se injiciunt in discrimen mortis, aut sunt v. gr. Funambuli, Circulatores, qui se vulnerant, aut venena sumunt, nisi longa experientia, vel experimentis factis in bratis certis sint de sua dexteritate, aut remediorum suorum efficacia. 2. In eodem genere graviter peccant, qui sibi mortem accelerant per crapulam, ebrietatem, frequentem vini adusti potum, & per immoderatas passiones: plus vel minus secundum quod plus, vel minus morti suæ concurrunt; sed priores in hoc maxime culpandi, quod mediis, quæ Deus ad conservationem vite instituit, his abutantur ad mortem. 3. Rei sunt, qui dum ægotant, recusant remedia communia, certò seu proba-

bilis profutura & non nocitura, si ex eorum defectu mors sequatur. Secus, si remedia sint insolita, valdè difficilia, aut multum pretiosa, atrens personarum conditionibus, quia non tenetur vitam conservare nisi mediis ordinariis; neque jubet Deus, ut de vita longiore ita simus solliciti. 4. Non sunt culpandi, sed plurimum laudandi, qui ex motiva virtutis corpus absentibus, vigiliis, & aliis austeritatibus affligunt, undè valetudo minuitur, & vita brevitur; quia motivum virtutis est ipsis justa causa has macerationes exercendi quamvis indè præter intentionem forte aliquantocius mors adveniat. Dico: fortè quia austeritates moderate sæpe vitam producent potius, quam contrahant, ut patet in multis Anachoretis & Monachis, qui, quamvis severe poenitentia addicunt, vitam tamen longævam duxerunt. Neque obstat dictum Hieronymi: Nihil interest parvo, vel magno tempore te intrinsecus. Id enim verum est duntaxat de his, qui vel agunt ex intentione mortis, vel nullam justam causam habent agendi id, unde vita fit brevior; atque & ipse Hieronymus fuisse suicida. Intellige tamen semper austeritates, ut dixi moderate, & juxta prudentia regulam assumptas, illicite sunt enim immoderate, quæ notabiliter sanitati offi- cient, & sunt manifestè occisivæ; neque in his currit motivum virtutis, quin potius virtutum exercitio obsunt, dum, corpore viribus exhausto, spiritus impediatur in suis functionibus.

5. Non peccat miles, qui jussus stationem non deserit, primus muros ascendit, ignem pulveri tormentario injicit ad evertendam turrim, quamvis indè videat se certò occidendum; imò ad id tenetur titulo Justitiæ, sicut Pastor eodem titulo tenetur inservire infocis peste, etsi certò inficiendus. Eadem quicunque præstare potest ex charitate, aut motivo boni communis; quia hoc non est seipsum directè interimere, sed ob justam causam mortem suam permittere. 6. Probabiliter excusandus videtur miles, qui in navi inimica positus ignem in pulverem tormentario injicit, ut navis & hostes pereant, etiam cum certa sui intermeccione, si tamen indè sequatur Patriæ libertas; secus, si non sequatur, edò quod sint plures alie naves hostium. Ratio est; quia, cum hujus actionis sit duplex effectus immediatus, scilicet destructio hostium & sui occisio, potest primus intendi, & alter premiti, ubi subest justa ratio, ut fusiùs dicam artic. subsequè, ex Auctore. In 1. autem casu certa liberatio Patriæ est bonum, quod prævalet vite unius particulari, propter quod proinde potest permitti hujus vite amissio: secus in 2. casu. Hac ratione quidam excusant facta Samsonis & Eleazari: sed id non videtur posse admitti de Samsonè, quia ipse directè intendebat suam mortem, ut patet ex his ejus verbis: Moriatur anima mea cum Philistinum.

7. Culpandus est & contra miles, qui in propria navi injicit ignem in pulverem tormentario, ne ipse cum navi veniat in potestatem hostium, si tamen maneat in navi: quia, quod non exponatur hostium ludibrio, aut ab ipsis non interficiatur, non est sufficiens ratio, ob quam ponat actionem de se sui occisivam: & idè inculpat a S. Aug. & D. Th. (Hic ad 5.) factam Rasie 2. Machab. 14. Si autem exiit in mare, quamvis cum periculo submersionis, excusatur, quia tunc non censetur intendere suam mortem, sed potius se a morte per hostes inferenda defendere. Sic saltem apprehendit sensus communis. Eadem ratione excusatur, qui & turri incendio flagrante exiit cum mortis periculo, quia secundum apprehensionem hominum non censetur velle se occidere, sed potius dirisimum exustionis tormentum fugere, idque quodam naturæ instinctu, quo bruta ipsa in talibus circumstantiis posita idem agerent.

8. Justè damnatus ad mortem, quamvis licitè possit fugere, non tamen tenetur. Similiter justè damnatus, ut fame pereat, quamvis ipsi liceat oblatum panem acceptare, potest tamen recusare, si id utroque faciat amore Justitiæ in justam suam scelerum vindictam: quia id non est directè se occidere, sed ob justam causam suam mortem permittere. Neque obstat, quod dicit S. Th. q. 69. a. 4. ad 2. Quid non sumere cibum in tali casu, esse seipsum occidere. Id quidem verum est per se loquendo, nullo virtutis intuitu movente; secus, si id fiat amore virtutis. Undè ipse S. Doctor hic ad 2. docet, quod reus possit se committere Judici, & q. 32. art. 6. docet, quod propter bonum commune possit & debeat homo dare panem, v. gr. sibi ad vitam necessarium, personæ similiter periclitanti, quæ sit Ecclesiæ, vel Reipublicæ, necessaria.

9. Suicida foret, qui se in puteum, vel mare projiceret certò submergendum, ut infantem baptizaret; quia Theol. Billuar. Secunda Secundæ.

effectus immediatus & unicus hujus actionis est submersio; baptizatio autem infantis, licet ejus occasione fiat, non est tamen ejus effectus, sed alterius causæ nempe ablutionis & prolutionis verborum: non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Neque obstat, & quibus malis minus esse eligendum; quia id tantum verum est, quando alterutrum est necessario faciendum. Neque etiam dicat, præsumendum esse talem esse in hoc casu Dei voluntatem, sicut præsumitur esse voluntatem domini temporalis, ut e duabus rebus suis minor pereat, ut servetur pretiosior. Sic est equidem de domino temporali, qui vult absolute res suas servari, ideoque pretiosiorē præ vili, quando utraq; servari non potest: at non sic de Deo, qui, si absolute veller, posset infinitis aliis modis hujus infantis baptismum procurare; proindeque præsumi non potest, quod velit hunc haberi per suicidium, quod prohibet: sicut, si homo posset res suas pluribus & facilibus modis conservare, non conseretur velle, quod una servetur per destructionem alterius.

ARTICULUS IV.

Utrum liceat in aliquo casu interficere innocentem?

Dico: (Ib. a. 6. o.) Nulli unquam, nec etiam Reipublicæ, licet innocentem occidere directè & ex intentione, nisi sit ipsi facta à Deo specialis auctoritas. Prob. 1. (Ib. in arg. s. c.) ex illo generali Dei mandato Exod. 23. Insontem & justum non occides. Prob. 2. (Ib. o.) Ideo licet malefactores occidere, quia bono communi sunt nocivi; atqui vita justorum non est nociva bono communi, sed potius illius conservativa & promotiva, quippe qui sunt principalior pars communitatis; ergo. Dixi & ex intentione, quia occidere innocentes indirectè & præter intentionem, quandoque licere, videtur extra dubium: Sic jure belli licitè expugnatur Civitas, aut evertitur turris, in qua multi innocentes includuntur; similiter licitè impetuntur hostes, quamvis innocentes in fronte prælii constituantur; quia, ut jam dixi, & dicam iterum articulo sequent. (Hic art. 7. o.) quando unius actus sunt duo effectus æquè immediati, unus bonus, alter malus, potest subsistente justa ratione intendi bonus & permitti malus: porro eversio turris, explosio tormentorum bellicorum in hostes est immediatè defensiva Patriæ, & occisiva innocentium: hoc permittitur, illud intenditur propter bonum commune.

Ex dictis inferes, casu, quo Tyrannus minaretur excidium civitatis, nisi interficiat innocentem, quem prosequitur ad mortem, ut olim Constantius Athanasium, civitatem non posse illum innocentem occidere. Non enim in tali casu vita innocentis est nociva Reipublicæ; sed Tyranni malitia, propter quam innocens non debet pati mortem. Neque dicas, e duobus malis minus esse eligendum; id quidem verum est, quando sunt ejusdem ordinis. Porro excidium civitatis est malum physicum tantum, occisio autem innocentis malum morale; unde potius hic locum habet hoc aliud axioma: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Si iustus: hujus occisionis sunt duo effectus, scilicet mors innocentis, & Patriæ liberatio; atqui, ut modò dicebatur, quando sunt ejusdem actionis duo effectus, unus bonus, alter malus, bonus potest intendi ex justa causa, & malus permitti: ergo. R. Minorem esse veram tantum, quando duo effectus sunt æquè immediati; si enim malus effectus sit prior quàm bonus, tunc fiet malum, ut eveniat bonum; quod non licet. Hic verò liberatio Patriæ non tantum non est effectus æquè immediatus hujus occisionis, ac mors innocentis, sed neque propriè est ejus effectus: propria enim causa liberationis patriæ est voluntas Tyranni, mutata occasione occisionis innocentis.

Sed major difficultas est, utrum, si Tyrannus petat innocentem a semetipso occidendum, aliquin urbem jam eversurum, liceat Reipublicæ illum innocentem tradere? Doctissimus Sylvius cum pluribus aliis censet, Reipublicam non posse in hoc casu tradere innocentem quia esset cooperari ejus morti; sed posse illi præcipere, ut se tradat, quia ad id tenetur ex pietate pro Patria: quod si renuat, desinit esse innocens, & tunc ut reus potest tradi, vel occidi. Verum, salva tantis viris debita reverentia, non videntur satis consequenter loqui. Si enim non possit Reipublica tradere innocentem, quia esset cooperari ejus morti, non potest ipse innocens propter eandem rationem seipsum tradere; magis enim prohibetur suicidium, quam simplex homicidium. Et e con-

trā si posset innocens se tradere, quidni possit etiā eum tradere Republica? Unde

R. probabilius cum aliis, Republicam posse in tali casu tradere innocentem, non ex intentione, ut occidatur, licet praevidetur occidendum, sed ex intentione, ut liberetur Patria ab imminente exitio. Ratio est 1. Quia talis traditio non est ex natura sua occisiva innocentis, sed ad summum constituit Tyrannum in his circumstantiis, in quibus potest innocentem occidere; quod non videtur adeo malum, ut fieri non possit pro salute totius Republicae. Neque refert, quod salus Republicae non sequatur immediatē ex traditione, sed ex mutata Tyranni voluntate, quia etiā mors innocentis non sequitur immediatē ex traditione, sed ex malitia Tyranni: dum autem dicimus, actionem habentem bonum & malum effectum posse esse licitam propter bonum effectum, si immediatē ex illa sequatur, hoc intelligimus, quando malus effectus etiā immediatē sequitur; quia, si malus effectus remotē sequatur, sic ut possit verificari, quod non fiat prius malum, ut eveniat bonum. 2. Vel iste innocens spontē se tradat, & tunc nulla fit ipsi injuria: vel renuet se tradere, & tunc gravissimē peccat contra Republicam, cui in tali extremitate tenetur secundum omnes succurrere etiā cum vite dispendio; siquē desinit esse innocens, & tanquam reus tradit potest.

Dices 1. Non licet innocentem tradere bestiis frementibus: ergo nec Tyranno ipsis crudeliori. R. N. Conseq. Disparitas est, quod bestiae feroces careant libertate, & naturalitē salvant ac devotent, ita ut perinde sit (secluso miraculo) innocentem objicere feris, ac submergere in mare, siquē profundē talis traditio per se occisiva. At Tyrannus est agens liberum, non naturalitē occidens innocentem, sed ex libera voluntate, quam sine miraculo revocare potest. Et idē tradere ipsi innocentem non est actio de se occisiva.

Dices 2. Non licet tradere sacros Codices Tyranno petenti ad eos comburendos, aut aliter indignē tractandos ergo. R. N. iterum Conseq. Quia per talem sacrorum Codicum traditionem fit directē gravissima injuria Deo & Religioni, quae praevaleret cuiusque injuriae, quae posset inferri Republicae; non sic mors privati innocentis. Et ideo primis Ecclesiae saeculis innumeri propē Fideles mortem oppetierunt, ne sacros Codices traderent, & qui tradiderant, severissimē poenitentiae subiciebantur. Adde, quod sacris Codicibus non incumbat defendere Patriam, sicut incumbit civi innocenti.

Dices 3. Si Tyrannus peteret virginem stuprandam, non liceret ei tradere: ergo nec innocentem occidendum. R. N. Conseq. propter presentissimum peccandi periculum ex parte virginis, quod non reperitur in traditione innocentis.

Ceterum non desunt, qui negant Antec. & probabiliter tenent posse in tali extremitate tradi virginem, seu quancumque aliam mulierem pudicam & probatē vitae; quia, inquit, cum copula in his circumstantiis sit magis horroni, quam anori, non videtur tam proximum peccatum peccandi formalitē consentiendo libidini. Neque dicenda est casta mulier se active habere ad hunc actum, eo quod videatur se praebere tanquam instrumentum libidinis Tyranni; non enim se praebet, sed permittit tantum & passivē se habet; quod putant licere pro salute totius Patriae; sicut, inquit, liceret, si suprador jam trucidaturus esset virginem, nisi violationem suam permitteret; quia, juxta eosdem, corporalis illa violatio potest considerari ut mutilatio alicujus membri, quam virgo potest permittere ad conservationem vitae, vel Patriae, non consentiendo libidini, ut possibile est, & non ita raro contingit in castis conjugibus. Ita, inquam, sentiunt quidam, quorum sententiam dumtaxat refero, non assero; quia periculosa est, si non falsa.

Ceterum ex ea male inferes, excusandam fuisse Susannam, si sui violationem senibus impudicis permisisset. Quia illi senes non minabantur illam extemplo occidere, sed accusare tantum coram Judicibus ut adulteram. Multa autem licent ad evitandam mortem hic & nunc instantem, quae non licent, si fiat tantum comminatio mortis postea infligende; quia non est tam praesens periculum, & est spes illud aliqua via evadendi. De Judice condemnante Innocentem probatum noentem, de quo S. Th. hic ad 3. dicemus, dum de injustitia Judicis.

Non instituo questionem ut plerumquē fieri solet: An liceat occidere injustum vitā invasorem? Quia To occidere proprie importat intentionem mortis, quam, abesse volumus a moderata defensione. Et idē aliter quæro, utrum contra injustum vitā invasorem liceat eam defendere, quamvis ex defensione sequatur mors invasoris præter intentionem.

§. I. Vera Sententia stabilitur.

Dico: (Ib. a. 7. o.) Unicuique licitum est defendere propriam vitam cum occisione injusti invasoris, servato moderamine inculpate tutelae. Pro hac Sententia præter auctorem citantur S. Bonaventura, S. Antoninus, Sylvester, Cajetanus, Soto, Bannes, Estius, Wiggers, Sylvius, Delingo, Serra, Natalis Alexander, Decooq, Boudart, Pontas, Tournelli, & innumeri penē alii contra paucos, Gerson, Richard, a S. Vict. Norisium, Piette, Henricum a S. Ignatio, cui postremo si credas, opposita Sententia vix non erit fidei. Prob. ex Scriptura: Exod. 22. dicitur: „Si effringens fur domum, sive sufficiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.“ Super quae verba Aug. q. 84. in Exod. dicit: „Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur; si autem diurnus, pertinere: hoc est enim quod ait: si oriatur sol super eum; poterat quippē discerni, quod ad furandum, non ad occidendum, venisset.

Respondent adversarii, hanc legem esse merē judicalem, & decernere dumtaxat interfactorem furis nocturni non esse puniendum in foro externo tanquam homicidam; cum quo stat, quod sit puniendus coram Deo. Sed contra. Quamvis non sit negandum, hanc Legem esse ex parte judicalem, quatenus statuit de poenis; est tamen etiam ex parte naturalis & pro foro conscientiae, quatenus declarat interfactorem furis nocturni non esse reum homicidii, & interfactorem diurni esse reum.

Quod probō, 1. ex Aug. qui sic hanc Legem intelligit, ut pater ex ejus laudatis verbis, in quibus profert rationem petitam ex natura rei, cur liceat occidere furem nocturnum, non diurnum; quasi diceret, non est reus homicidii, qui occidit furem nocturnum, quia praesumitur venire ad occidendum. Est reus, qui occidit furem diurnum, quia dignoscitur venire tantum ad furandum: licet enim occidere invasorem vitæ, non bonorum. 2. Si is, qui interficit furem nocturnum, est verē reus homicidii coram Deo, sicut ille, qui occidit furem diurnum; quæro, cur Deus, qui hujus Legis est auctor, hunc morti addicit, & illum a poena absolvit. 3. Tandem veram esse intelligentiam nostram, evincitur ex hoc quod Jus Canonicum hanc Legem adaptaverit verbis Augustini, quæ sensum nostrum aperte exprimunt. Sic enim Can. 3. de homicid. Extrā l. 5. tit. 12. habetur: *Si perfodiens inventus fuerit, & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium imputandum: si autem oriatur sol super eum, reus erit.* Id quoque expressē fert titulus Canonis, qui sic legitur: *Non occiditur fur diurnus sine culpa, sed nocturnus.* Adde, quod Jus Canonicum spectet forum conscientiae, non judiciale quoad poenas mortis.

Prob. 2. ex Jure Canonico. Clementina Si furiosus l. 5. tit. 4. Clemens V. in Conc. Viennensi sic: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censetur, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mutilat invasorem.* Neque dicas cum Henrico a S. Ignatio & Aurelio Piette, ex eo quod non incurrit irregularitatem, non sequi, quod non peccet coram Deo. Sequitur planē, si loquamur secundum dispositionem Juris, juxta quam omnia omnino homicidia peccaminosa habent annexam irregularitatem: si ergo hoc, de quo agitur, non habeat annexam irregularitatem, benē sequitur, quod coram Deo non sit peccaminosum. Et id ulterius indicat Concilium, cum illud æquiparat homicidio perpetrato a furioso, vel infante, vel dormiente. Item Can. Interfecti. De homicid. Extrā l. 5. tit. 12. imponitur specialis & determinata prenitentia ei, qui occidit latronem, cum se poterat aliter liberare. Si vero aliter quam occidendo se liberare non po-

terat, non imponitur, sed relinquitur ejus arbitrio, & suaderet tantum in genere. Unde hæc disparitas, nisi quia prior peccavit, non posterior?

Prob. 3. Ex hoc principio, *vim vi repellere licet*, quod omnia Jura admittunt. Sic in Jure Civili ff. de Justitia & Jure l. 1. tit. 1. dicitur: *Ut vim atque injuriam propulsemus: nam jure hoc evenit, ut quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure se fecisse existimet.* In Jure Canonico. dist. 1. c. 7. Jus naturale est commune omnium Nationum... ut deponat rei, vel commodate pecunie restitutio, violentie per vim repulsio. Innoc. III. C. Significasti. De homicidio Extrā l. 5. tit. 12. loquens de occisione furis percussus: *Quamvis, inquit, vim vi repellere omnes Leges, & Jura permittunt; tamen hoc debet fieri cum moderamine inculpate tutelae, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsiendam.* Similiter Alexander III. ibid. tit. 39. c. 3.

Respondent Adversarii, omnia Jura equidem permittere vim vi repellere, sed cum moderamine inculpate tutelae; non extenditur autem, inquit, istud moderamen usque ad intentionem invasoris. Sed contra 1. Eo usque extendi, docet S. Th. hic dicens: *Secundum Jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpate tutelae. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderate tutelae prætermittat ad evadendam occisionem alterius, auct; quia plus tenetur homo vitæ suae providere, quam vitæ alienæ.* Docet S. Bonaventura, S. Antoninus, & concors omnium ferē Theologorum Sententia: docent ipsa Jura omnia, ut patet ex dictis: unde Cicero pro Milone, qui interfecerat Clodium, elegantē dicit: *Hoc ratio docuit, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura præscripsit, ut omnem semper vim, quancumque ope possunt, a corpore, a capite, a vita sua propulserunt.* Contra 2. & instauratur vis argumenti. Tunc servatur moderamen inculpate tutelae, quando, posita proportione inter malum averendum, & malum ex defensione securum, non adhiberetur major vis repellens, quam sit opus ad malum averendum, ut fusiis explicabo infra: vel dicant Adversarii, in quo istud moderamen sit positum; atqui sic est in nostro casu. Et 1. habetur proportio inter malum & malum, scilicet inter mortem invasi, & mortem invasoris; damnatio enim invasoris, ut obiter dicam, non sequitur ex defensione invasi, sed ex propria malitia. 2. Non adhibetur major vis repellens, quam sit opus ad averendam mortem invasi, quia, ut supponitur, aliter evadere non potest: ergo.

Reponunt: Qui occidit, non est defensor, sed invasor: ergo. Sed contra: Ille est merus defensor, & non invasor, qui nihil aliud facit, quam id, quod præcisē est necessarium, ut vim illatam impediatur; atqui, qui occidit invasorem, a quo aliter liberari non potest, non facit plus, quam est necessarium ad impediendum vim illatam: ergo. Lepidum sanē defensionis modum nobis præscribit quidam modernus: scilicet, *dum baculo, inquit, aut gladio avertis ictus gladii, quo aggressor cor tuum perfoderet nititur; & in hoc forte, aut in aliquo simili reponit moderamen inculpate tutelae.* Bene. Sed, si aggressor quinquaginta passibus distans me catapultam invadat, quis e vestigio mali subministrabit periculum adeo longam, qua catapultam deflectere possim? Risum ista movent. Insuper, qui debilitat, aut mutuat aggressorem, ne ulterius noceat, aliquid plus facit, quam avertere ictus invadentis; atqui tamē est merus defensor, & non invasor, fatentibus adversariis: ergo similiter qui occidit, dum aliter evadere non potest.

Ex eodem Juris principio eruitur hoc aliud argumentum. Licitum est occidere hominem ex legitima auctoritate; atqui, qui defendit vitam suam cum occisione injusti invasoris, id facit ex legitima auctoritate, cum id omnia Jura permittant: ergo. Si petas, quæ sit hæc auctoritas, an publica, an privata? R. Non esse publicam, ut vult Estius, non enim invasus licet agit ut Judex, aut Princeps ex scientia publica, & intuitu boni communis; sed esse privatam, quam natura ipsa omnibus, & singulis animantibus, etiā feris, indidit ad sui conservationem contra quancumque noxiam.

Prov. 4. ex Patribus. Jam dicimus, quid censeat Aug. in Legem Exod. 22. Insuper E. 153. alias 54. ad Macedoniam sic ait: *Cum homo ab homine occiditur, multum distat, utrum fiat nocendi cupiditate, vel injusitè aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut a latrone: an ulciscendi, vel obediendi ordine, sicut a Judice, sicut a carnifice: an evadendi, vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro a viatore, heris a milite.* Quibus verbis aperte docet, quod viator non minus licet occidat latronem evadendi necessitate, quam miles occidat hostem; utrumque

enim reponit in eodem ordine: hostem autem licet occidat a milite, nullus dubitat.

At, inquit, addit Aug. *Et aliquando, qui causa mortis fuit, potius in culpa est, quam ille, qui occidit:* ego etiā in culpa est, qui occidit. At, inquit ego, lege, quæ sequuntur in Aug. & te in illatione errantem probabis. Subdit enim immediatē Aug. *Velut, si quisquam decipiat fide jussorem suum, atque ille pro isto supplicium legitimum luat:* numquid in culpa est, qui legitimum supplicium intelligit? Patet ergo, Augustinum non sumere hanc particulam potius comparative, sed adversativē. Idem Aug. contr. Faustum l. 22. c. 70. dicit: *Ille autem utitur gladio (malè scilicet), qui, nulla superiori, ac legitima potestate vel jubente, vel concedente, in sanguinem alienus armatur; atqui, qui vitam suam defendit cum occisione injusti invasoris, id facit legitima potestate permitte, cum id omnia Jura permittant: ergo.* S. Ambrosius l. 1. Officiorum c. 36. ait: *Neque in inferenda, sed in depellenda injuria Lex virtutis est, qui enim non repellit a socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit.* Unde S. Moyses prius orsus est testamenta bellica fortitudinis; nam, cum vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem, defendit, ita ut Ægyptium sterneret, atque in arena absconderet. Non est autem dubitandum, inquit Estius in hæc verba, quin si hoc pacto defendere socium liceat, liceat & seipsum. S. Cyrillus l. 1. in Joann. c. 35. citatus ab Estio in 3. dist. 37. §. 21. *Undenam, inquit, Petrus gladium habuit?* Respondet: *Quia secundum Legem gladio se defendere licebat.* Et supra: *Nam, si vi multitudinis innotus ad necem traheretur Christus, omni modo fortassis debuissent illum defendere discipuli.* S. Bonaventura Serm. 6. de decem Præceptis apud Henho: *Si autem sit necessitas inevitabilis, ut homo occidat alium, non amore vindictæ, sed amore conversationis vitæ... & fiat hoc cum moderamine inculpate tutelae, hoc concessum est personis etiam perfectis.* S. Antoninus pag. 2. tit. 7. c. 8. §. 1. dicit, quod, qui occidit invasorem, cum aliter non potest evadere, non est propriè homicida, propterea scilicet homicidium dicitur peccatum.

Quantum ad S. Th. quoniam de ejus mente ligant Adversarii, in integrum ferme corpus articuli 7. quem hic discutimus. „Nihil prohibet, inquit S. Doctor, unus actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero præter intentionem: morales autem actus recipiunt speciem secundam quod intenditur, non autem ab eo, quod est præter intentionem, cum sit per accidens, ut patet ex supra dictis. Ex actu ergo alienus seipsum defendentis duplex effectus sequi potest: unus quidem conservatio propriæ vitæ, alius autem occisio invadentis. Actus ergo hujusmodi, ex hoc quod intenditur conservatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti, cum hoc sit cultibet naturale, quod se conservet in esse quantum potest. Potest tamē aliquis actus ex bona intentione proveniens illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et idē, si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur majori violentia, quam oporteat; erit illicitum: si verò moderate violentiam repellat, erit licita defensio: nam secundum Jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpate tutelae. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderate tutelae prætermittat ad evadendam occisionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ suae providere, quam vitæ alienæ.“ His verbis S. Th. non solum sententiam nostram aperte asserit, sed etiam triplici ratione eam probat. Prima est; quia secundum Jura licet vim vi repellere; quam rationem jam satis supra expendimus. Secunda, quia plus tenetur homo providere propriæ vitæ, quam alienæ; hoc enim exigit ordo charitatis, & dicitur Jus naturale; atqui, si deberet permittere se occidit potius, quam se defendere cum occisione invadentis, plus teneretur vitæ alienæ providere, quam suæ: ergo. Neque dicas inde sequi, quod non solum quis possit se defendere cum occisione invasoris, sed etiā quod teneatur. Equidem tenetur per se loquendo, & ceteris paribus, hoc est, si tantum spectetur bonum vitæ & vitæ; secus, si spectetur bonum virtutis; sed de hoc latius infra. Tertia & fundamentalis ratio Divi Thomæ est hæc: occisio invasoris in nostro casu non est voluntaria: ergo non est illicita, nec immutabilis. Prob. Ant. Est. præter intentionem; atqui voluntarium non est præter, sed secundum intentionem; seu, dicit S. Doctor, actus morales sumunt speciem secundam id, quod intenditur, non ab eo, quod est præter intentionem, cum sit per accidens: ergo. Prob. Maj. Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero præter intentionem: sic v. gr. ex expugnatione urbis in bello justo

sequitur defensio Reipublicæ, & occisio plurimum innocen-
tum; defensio Reipublicæ intenditur ab expugnatione, occi-
sio innocen- tum est præter ejus intentionem. Similiter ex
potione medicinali sequitur sanatio ægri, & ejus debilita-
tio, primum intendit medicus, non secundum; atque ex
actu se defendentis sequitur duplex effectus, nempe con-
servatio vite propriæ, & occisio invasoris, quorum pri-
mus intenditur, & alter est præter intentionem, non enim
invasus intendit, aut intendere potest mortem aggressoris,
sed defensionem suam dumtaxat, ut dicam modo ex S. Th.
ergo.

Dices: Dato, occisionem in casu non esse volunta-
riam directè, est saltè voluntaria indirectè in causa; hoc
ipso enim quo quis vult causam per se alicujus effectus;
hinc vult saltè indirectè in causa: ergo, qui ponit actionem
de se occisivam, & occisio invasoris, quorum pri-
mus intenditur, & alter est præter intentionem, non enim
invasus intendit, aut intendere potest mortem aggressoris,
sed defensionem suam dumtaxat, ut dicam modo ex S. Th.
ergo.

Dices: Dato, occisionem in casu non esse volunta-
riam directè, est saltè voluntaria indirectè in causa; hoc
ipso enim quo quis vult causam per se alicujus effectus;
hinc vult saltè indirectè in causa: ergo, qui ponit actionem
de se occisivam, & occisio invasoris, quorum pri-
mus intenditur, & alter est præter intentionem, non enim
invasus intendit, aut intendere potest mortem aggressoris,
sed defensionem suam dumtaxat, ut dicam modo ex S. Th.
ergo.

Verumtamen hoc Doctoris Angelici principium, quod
latè patet, & de quo jam sæpe, debet intelligi sub dupli-
citate conditione. Prima est, quod bonus effectus æquè im-
mediatè ex illa actione sequatur, ac effectus malus; quia
si effectus malus prius sequeretur, quam bonus, prius fieret
malum, quam bonum; & sic fieret malum, ut eveniret
bonum, quod non licet. Secunda conditio est, quod
effectus bonus, qui intenditur, prævaleat malo, qui per-
mittitur, aut saltè eum compenset. 1. Quia dicitur rec-
ta ratio, potius esse celandum minori bono, quam illud
obtinere per actionem, ex qua sequitur majus malum, seu
ut communitur dicitur, ex duobus malis minus esse eli-
gendum. 2. Quia actus, quo quis intendit vitare minus
malum causando majus, non esset proportionatus fini, qua-
lem esse necesse est, ut sit licitus, ut docet S. Doctor,
& per se patet. Hinc defectu 1. conditionis non licet v. gr.
ponere actionem occisivam matris, puta, eam secare, ut
baptizetur proles alioquin peritura in æternum; quia, licet
salus æterna infantis prævaleat vitæ matris, non tamen se-
quitur ex illa actione æquè immediatè, ac mors matris, sed
aliunde, nempe ex Baptismo, Baptismus autem ex ablu-
tione, & verborum prolatione: non sunt autem facien-
da mala, ut eveniant bona. Defectu 2. conditionis sequi-
tur, quod non liceat ponere defensionem occisivam pro
conservatione v. gr. unius auri; quia, licet conservatio
unius auri æquè immediatè sequatur ex actione mea, ac
mors furis, privato tamen unius auri est longe minus
malum, quam mors hominis.

Si dicas, damnationem æternam invasoris, quæ sequi-
tur ex mea actione, esse etiam longè majoris momenti,
quam mortem meam temporalem; jam respondi, invaso-
ris damnationem non sequi ex mea actione, sed ex ejus
peccato, ac propria malitia. De hoc iterum infra.

§. II. Explicatur moderamen inculpate tutelæ.

Dixi in conclus. cum Auctore: *Servato moderamine
inculpate tutelæ*: ut autem servetur illud modera-
men, plura requiruntur. Requiritur 1. juxta dictum Inno-
cent. III. a quo ista phrasis est desumpta, ut adhibeatur defen-
sio non ad sumendam vindictam, sed ad propulsandam
injuriam. Est autem vindicta irrogatio damni, vel pene
propter injuriam illatam; & hæc soli Deo, vel potestati
publicæ reservatur. Defensio autem est propulsatio damni

vel injuria, quam aggressor conatur inferre. Et hinc re-
quiritur 2. *(Ibid.)* ut invasus non utatur majori violentia,
quam sit opus ad averterendam mortem intentatam: alicujus
non erit actus proportionatus fini, nec mera defensio, sed
vindicta & ultio. Unde, quivis sis, etiam si nobilis, si pos-
sis evadere fugiendo, clamando, verberando, retundendo,
excutiendo arma, aut vulnerando, & sit tempus, ac com-
moditas ista tentandi, occidere non potes. Eadem ratione
non potes percutere, aut occidere aggressorem fugientem,
aut inermem, aut viribus debilitatum, & cadere impo-
tentem, aut quovis alio modo ab aggressionem cessantem.
Requiritur 3. ut vera vis actu inferatur, alias non erit
defensio, sed aggressio. Hinc non potes prævenire, & oc-
cidere eum, qui solis minis tibi mortem intendat, aut quem
suis querere opportunitatem te occidendi, neque latronem
tibi obvium nihil in te actu molientem; nondum enim sunt
actu invasores, potesque malum adhuc remotum aliis me-
diis averti, & fortè mutaverit consilium. Neque etiam
eum, qui dolo, insidiis, ac calumnia tibi mortem inferre
conatur; puta falsum testem, falsum accusatorem, iniquum
Judicem; tum quia non est tibi vera vis, qua morte ag-
gressoris debeat repelli; tum quia ista sunt remota, & pos-
sunt aliis mediis averti.

Insuper quantum ad falsum accusatorem, falsum testem,
aut iniquum Judicem, de quibus est major difficultas: vel
potes te probare innocentem, vel non; si primum, jam
adsunt alia media evadendi; si secundum, occidendo eum,
qui non potest probari reus calumnie, vel iniustitiæ, in-
curris tamquam iniquus homicidæ majus periculum, & scan-
dalum. Aliunde sententia opposita, quidquid sit de ejus
probabilitate speculativa, apparet jamjam innumeris homici-
diis: facile est enim fingere paratas insidias, minas factas,
dolum, aut calumniam adhibitam, & eo pretextu arripere
licentiam quemlibet occidendi cum totali eversione Reipu-
blicæ, ideoque hoc solo titulo reprobanda. Unde Alex. VII.
damnavit hanc propositionem: *Licet interficere falsum accu-
satores, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo in-
iqua certè imminet sententia, si alia via non potest in-
nocens damnari evadere.* Est 18.

Cæterum hæc non sic intellige, quasi invasus debeat
expectare, donec invasor primum ictum dederit; sed suffi-
citur, si is aliquid agat, quo censetur actu moralitè in-
vadens. Hinc, si videas latronem, vel inimicum parare ca-
pitolium, stringere ensen, potes illum prævenire, quia est
actu moralitè aggressivus: similiter eum, qui parat solvere
canes feroces, aut leones, ut te devorent, qui mandat fa-
mulis presentibus, ut te occidant.

Sequuntur casus magis dubii. Primus: usor deprehendit
maritum habere sub cervicali latentem pugionem, ut ipsam
dormientem trucidet, nec ulla est via evadendi. Secundus:
es in oppidulo, vel in aliqua domo, unde nullum patet ef-
fugium, sed necesse est, ut incidas in manus inimici, te ex-
pectantis ad necem. Tertius: Dominus vocat famulos ad te
occidendum. Dubium est, inquam, an in his, & similibus
casibus liceat prævenire. Alii affirmant, alii negant; utrin-
que probabiliter. Placet responso nostri Soto L. 5. q. 1. a. 8.
*Ad hæc, inquit, aliud responderi non potest, quam, cum
actus ille est aggressio, nullatenus est licitus: si tamen
defensio est, non est, cur condemnentur. Utrum autem eo-
rum sit? non est lege, aut scientia definitendum, sed arbi-
trio prudentis quocumque casu judicandum. Servit autem
hoc ad pacandam conscientiam post factum. Haud tamen est
in publico hæc licentia prædicanda, ne rude vulgus, quod
discernere nescit, quando est aggressio, quando verò de-
fensio, eam per abusum amplifcet.*

Requiritur 4. ut malum, quod avertere volumus, præ-
valeat, aut saltè adæquet malum, quod ex defensione
nostra sequitur. 1. *(Ibid.)* Quia juxta S. Th. & rei veri-
tatem, ut actus defensionis censetur moderatus, debet esse
proportionatus fini; atque actus, quo quis intendit
vitare minus malum causando majus, non esset proportio-
natus fini, ut jam dixi, & per se patet: ergo. 2. Quia,
si ad moderamen inculpate tutelæ sufficeret, quod quis,
nulla habita ratione proportionis inter malum & malum,
non adhiberet majorem vim, quam sit necesse ad defen-
dendam rem, quæ invaditur; sequitur, quod ille non ex-
cederet moderamen inculpate tutelæ, qui occideret inva-
sorem pro uno auro, aut pro pomo, quod aliter serva-
re non posset; atque falsum consequens, & damnatum,
ut patebit infra: ergo.

Requiritur 5. *(Ibid.)* Quod invasus non intendat mor-
tem invasoris, sed solum suam defensionem; quia occi-
dere hominem non licet nisi publica auctoritate propter
bonum commune: unde illicitum est, quod homo inter-

dat occidere hominem, ut seipsum defendat. Et aliunde
talis intentio non est necessaria ad sui defensionem. Verum
non pauci difficile capiunt, quomodo invasus possit trans-
fodere pectus, aut guttur invasoris, vel dirigere glandem
plumbæam in caput ejus & non intendere ejus mortem, cum
hæc actio sit ex natura sua occisiva. Quapropter dicunt, in-
vasum non posse quidem intendere mortem aggressoris ut
finem suæ actionis, & hoc solum velle S. Th. ceterum
posse intendere velut medium, cum occisionem invasoris
apprehendat ut necessariam ad suam defensionem, vel sal-
tem indirectè in causa sit effectum per se secutum.

Attamen conformius est doctrinæ D. Th. & veritati, in-
vasum nullo modo posse intendere mortem invasoris, ne-
que directè ut medium, neque indirectè ut effectum, sed ma-
ximè ut medium. 1. Quoad S. Th. dicit expressè S. Doctor:
(Ibid.) Quia occidere hominem (ex intentione scilicet) non
licet nisi publica auctoritate propter bonum commune: illi-
citurum est, quod homo intendat occidere hominem ut seip-
sum defendat, nisi ei, qui habet publicam auctoritatem,
illud autem verè & propriè intenditur, quod intenditur ut
medium, neque potest dici præter intentionem. Et cum
sibi objecisset S. Doctor verba Agg. dicentis non sibi pla-
cere consilium de occidendis hominibus, ne ab eis quis-
quam occidatur: respondet *(Ib. ad. 1.)* Aug. intelligendum
esse in casu, quo quis intendit hominem occidere, ut seip-
sum a morte liberet; quibus verbis aptè significat, non
licere eligere mortem aggressoris ut medium evadendi. 2. Oc-
cidere aggressorem vel habet actionem boni & honesti
in se, præcisa habitudine ad finem propriæ defensionis:
vel est intrinsecè malum, & solum habet, quod sit bonum
per habitudinem ad defensionem. Primum est mani-
festè falsum, quia occidere hominem privata auctoritate
sine ordine ad finem defensionis est intrinsecè malum.
Hoc autem supposito, secundum dici non potest: quia
quod est intrinsecè malum, coherere non potest bono
fine: quin potius voluntas talis mediè vitat intentionem
finis. Quod autem assumitur, mortem invasoris esse me-
dium unicum & necessarium ad evadendum, & sic ex in-
tentione finis necessarium intendi, abusivè dicitur: medium
enim necessarium in casu est actus defensivae invasi, ex
qua sequitur duplex effectus, scilicet salus propria ex intentione,
& mors invasoris præter intentionem.

Et hinc etiam probatur mortem invasoris non debere
necessario intendi nequidem indirectè ut effectum secutum
quantumvis sit defensio de se occisiva; quia, ut ait S.
Th. *(Ibid. 6.)* nihil prohibet unius actus esse duos effectus;
quorum alter solum sit in intentione, alius verò præter in-
tentionem. Nec desunt hujus veritatis exempla, quæ jam
attingimus, nec repetere piget. Sic miles in justo bello, di-
rigens tormentum bellicum in hostes, in quorum fronte
positi sunt innocentes, aut evertens turrim in qua cum
hostibus inclusi sunt innocentes, ponit actionem æquè de
se occisivam innocentium ac defensionem Reipublicæ, &
tamen nullo modo intendit eorum mortem, aliquin pec-
caret. Sic casta mulier, dum exercet meritorie actum con-
jugalem, solvit debium, & experitur libidinem insepa-
rabiliter annexam in hoc statu naturæ corruptæ, primum
intendit, secundum permittit, non intendit, aliàs non me-
reretur. Sic Chirurgus rumpens vomica sanat & cruciat,
sanat ex intentione, cruciat præter intentionem. Sic me-
dicus, præbens potionem sanativam & simul debilitativam
intendit sanationem, non debilitationem, quippe ei dis-
plicet & velle absque ea sanare, sed permittit, judicans
non esse idcirco abstringendum à curatione ægri.

Quamvis ergo, ubi unius actus unus est tantum effec-
tus, difficile sit concipere, ut fert instantia, quod quis
intendat causam, & non intendat effectum, quia tunc ni-
hil est aliud, quod intendat; vides tamen in exemplis recitè
docuisse S. Th. rem aliter se habere, ubi unius actus sunt
plures effectus, & posse unum intendi, & alium esse præ-
ter intentionem. Porro sic est in nostro casu: immissionis
gladii v. gr. per viscera invasoris est duplex effectus, salus
invasi, & mors invasoris: invasus intendit præcisè suam
salutem, non mortem invasoris, quippe ei displicet, & vel-
let aliter salvari, sed permittit judicans non esse idcirco
abstringendum à defensione sui, quia plus tenetur providere
vitæ suæ, quam alienæ.

Tandem, si quis morosè contendat concipi non posse,
quod quis velit causam per se alicujus effectus, sive sit
unus tantum, sive sint plures, quin velit saltè indirectè
effectum per se in ea contentum, & consequenter occisionem
invasoris in casu esse voluntariam indirectè: nihil no-
cebit Sententia nostræ, si gratis admittamus occisionem in
casu esse voluntariam indirectè physicè, quatenus inva-

sus ponit causam physicam illius, non tamen esse volunta-
riam indirectè moralitè & imputabiliter, quia ad tale vo-
luntarium, juxta Theologos in Tract. de actibus humanis,
requiritur obligatio non ponendi causam: invasus autem in
casu non obligatur omittere causam, quin imò habet jus-
tam rationem illam ponendi, scilicet suæ vitæ conservatio-
nem, cui plus tenetur prospicere, quam alienæ. Cæterum in
praxi raro contingit, quod invasus apprehendat defensionem
suam esse necessario & infallibiliter occisivam: vel enim
invasor poterit ictum subterfugere, vel ipse invasus in ac-
tuali conflictu agonizans & turbatus, suæque defensionem
unicè intentus, vix discernere poterit sive retundendo sive
feriendo, actionem suam esse infallibiliter occisivam.

§. III. Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Ex Scriptura Sacra generale est Dei præcep-
tum Exod. 23. *Non occides*, a quo nulla fieri de-
bet exceptio, nisi quam Deus constat fecisse; atque non
constat, Deum fecisse exceptionem, ut possit occidi injus-
tus vitæ invasor; imò non fecisse probatur ex Aug. qui l. 1.
de civit. c. 21. tres tantum assignat exceptiones: primam in
illis, qui Deo auctore bella gerunt: secundam in his, qui
personam gerunt publice potestatis: tertiam in his, qui
ex speciali Dei jussione hominem occidunt; ut jussum erat
Abrahe: ergo. R. Nec nos facere exceptionem in illo
præcepto: proprie enim occidere hominem est ipsum e-
medio tollere intendendo ejus mortem, quod illicitum di-
cimus. Respondent autem ii, qui tenent mortem invasoris
posse aliquo modo intendi, Deum hanc exceptionem cor-
dibus hominum inseruisse, dum per omnia Jura maximè
per Jus naturale permisit vim vi repellere. Ad S. Aug.
responderi potest, non omnes exceptiones illic referre: di-
cit enim tantum, eos, quos ibi refert, non fecisse contra
hoc præceptum, Non occides: ex hoc autem, quod isti non
fecerint contra hoc præceptum, non sequitur, quod qui-
cumque alius occidit, sit illius transgressor; unde concludit
caput his verbis: *His igitur exceptis quos vel Lex juxta
generalitèr, vel ipse fons justitiæ Deus specialitèr occidi ju-
bet* (sumit jussione latè pro concessionem, ut patet de bel-
la gerentibus) *quisquis hominum vel seipsum vel quemlibet
occiderit, homicidii crimine innotuitur Lex autem justa
generalitèr concedit, occidi injustum vitæ invasorem, ut
patet ex probat. & specialitèr ex ipso Aug.*

Obj. 2. Ex præcepto charitatis, quo jubemur diligere
inimicos & ipsis benefacere: ergo. R. Præceptum diligen-
di inimicos & ipsis benefacendi esse affirmativum: ideo-
que, licet obliget semper, non tamen pro semper & in
omni casu, sed pro loco & tempore & positis certis cir-
cumstantiis: non obligat autem, ut in pari periculo inimi-
co potius subveniam, quam mihi; hoc enim non esset di-
ligere sicut seipsum ut habetur in Lege, sed plusquam
seipsum, quod foret contra ordinem charitatis. Audi Do-
ctorem Angelicum: *(Ibid.)* Non est necessarium ad salu-
tem, ut homo actum moderate tutelæ prætermittat ad evi-
tandam occisionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ
sue providere, quam vitæ alienæ.

Inst. Tenemur saltè ex præcepto charitatis vitam nos-
tram corporalem profundere pro salute æterna proximis;
atque hic agitur de salute æterna invasoris, qui, si occida-
tur, damnabitur: ergo. R. *(In c. 5. Matth.)* Majorem esse
veram dumtaxat, quando proximus est in extrema neces-
sitate, a qua erui non potest nisi per mortem meam, ut si
infans jamjam esset moriturus absque baptismo. Porro in-
justus invasor non tantum non est in extrema necessitate,
sed nec simpliciter est in necessitate, cum se spontè in hoc
periculo conjiciat, a quo sola voluntate sua liberari
potest cessando ab injusta invasionem. Hanc sanè neces-
sitatem non curavit S. Th. dum decretorie resolvit non esse
necessarium ad salutem, ut homo omittat actum defensionis
ad evitandam occisionem invasoris: hanc non curat
Justitia publica, dum reus suspendendus non vult com-
fiteri, ut quid ergo eam nos quasi ex præcepto curemus?
Et numquid, si vicinus dicat tibi: *Da mihi mille aureos,
alioquin me suspendam*; fortè dabis illi mille aureos, ne
se insaniens suspendat, & in æternum pereat? Addit Joan-
nes a S. Th. neque etiam in extrema necessitate non teneri
cum gravi detrimento adhibere media per accidens & ineffi-
cacia tantum ad salutem proximi. Mors autem mea & con-
servatio vitæ invasoris in casu est per accidens & inefficax
ad ejus salutem; etsi enim occumbam ego, & ille saluus
evadat, non idcirco salvabitur: fortè enim non aget pœnitentiam,
& in illo aut altero peccato morietur. Quid
si aggressor sit ebrius, qui libero judicio non agat? Con-